

§. 4. Quarto demum: In futurum condenda, si Jurisdictionem Regiam, aut Justitiae Administrationem, vel quoscunque Causarum Processus concernent; ad Regiam pariter deducantur Confirmationem; alioquin, tam haec, quam supra-mentionata alia, sub Classe tertia comprehensa; obligatoria non sint.

§. 5. Statutum vero, in novissima Eorundem Statuum et Ordinum Congregatione; de non recurrendo ad Generalem Regni Ungariae, et Partium Eidem annexarum Diaetam, praeterita prima Instantia; prout et aliud, de Vice-Comitibus, ab Assessoratu Tabulae Banalis excludendis; in medio Eorundem Statuum recenter conditum; eidem Considerationi ac Conditioni (percepto tamen, respectu posterioris, etiam Voto Comitum Bani) subjacebit; quibus reliqua Statuta hujus Articuli puncto tertio comprehensa subjecta sunt.

*Judiciorum Octavalium et Tabulae Banalis, in Regnis Croatiae et Sclavoniae, singulis Annis celebratio resolvitur.*

#### Articulus 121.

Administrandae Justitiae Zelo, et desiderio mota Sacra Majestas Caesareo-Regia (unanimi etiam Voto et Consensu Regnicolarum accedente) benigne annuit; ut ut renovato Article 28. Anni 1681. ibidemque citatis, Judicia Octavalia, tam majora quam minora, Appellationumque Revisiones, in Regnis Croatiae et Sclavoniae, Annis singulis, per Dominum Comitem Eorundem Regnorum Banum, vel eo legitime impedito; per alium, erga humillimum ipsorum Statuum recursum (percepto et hic antelati Comitum Bani voto) pro Arbitrio Majestatis Caesareo-Regiae, e gremio eorundem Regnorum Nationalem substituendum; Tabulae Banalis Assessoribus ad minorem numerum, quam fuerit hactenus, per ipsos Status juxta conditionem in Article immediate praecedente, de statutis appositam, praevie reductis; celebrentur: \*)

§. 1. Ita nimirum; ut talis per Suam Majestatem Sacratissimam substituendus; et Assessores denominandi; sub poena non obtemperacionis Mandatorum Regionum, eadem Judicia respective promulgare; inchoare; et consuetis diebus continuare teneantur.

*Pro Usu Salis, praesertim Maritimi; ex Frumenti permutatione consequendo.*

#### Articulus 122.

Usus Salis Maritimi (pro tenore Article 29. Anni 1548. et Article 43. Anni 1635.) Sacratissima Caesarea Regiaque Majestas, praefatorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, Statibus et Ordinibus clementer admisit;

§. 1. Extraneo tamen Sale omni, adeoque Styriaco etiam, per Cameram Graecensem recenter inducto; prorsus excluso.

\*) Allegatur; An. 1729. a. 31.